

Prot. n. 49980/15 CA

N-NN

*Nominationis Consilii administrationis*  
(D.nus X – Congregatio pro Clericis)

DECRETUM DEFINITIVUM  
IN NOMINE DOMINI. AMEN.

FRANCISCO PP. feliciter regnante, Pontificatus sui anno IV, die 17 iunii 2016, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Dominico Card. Mamberti, *Praefecto*, Leonardo Card. Sandri atque Exc.mis et Rev.mis D.nis Stanislao Zvolenský, Henrico Mussinghoff, et Antonio Stankiewicz, *Ponente*, atque intervenientibus Cl.mo Nicolao Bartone, utpote Recurrentis Advocato-Procuratore, Cl.ma Martha Wegan, tamquam Patrona Congregationis pro Clericis, atque Rev.do P. Nicolao Schöch, O.F.M., Promotore Iustitiae Substituto, hoc definitivum tulit decretum.

I. FACTI SPECIES

1. Exc.mus Y, Episcopus dioecesis N, ubi fundatio v.d. Z ab anno 1570 sedem habet, nova eius Statuta ad normam Codicis a. 1917 adhuc vigentis, die 29 aprilis 1983 adprobavit. Electo novo membro Consilii administrationis anno 2009,

novus Episcopus huius dioecesis, Exc.mus W, certior factus est de necessitate confirmationis electionum ad normam Statutorum et a die 12 decembris 2011 colloquia cum membris Consilii administrationis frustra instaurare conatus est ad eorum condicionem acclarandam.

Cum nemo ex membris Consilii praecipitam in art. 3, n. 4 Statutorum ratiabitionem nominationis ex parte Exc.mi Episcopi petiisset, Exc.mus W die 10 iulii 2013 declaravit ne unum quidem ex membris Consilii ad normam Statutorum valide munus obtinuisse, qua de causa Consilium administrationis de facto cessavit et administratio iuxta art. 3.8 Statutorum ad eum spectabat. Rebus sic stantibus, ipse novum Consilium fundationis nominavit.

At quinque membra praecedentis Consilii, ab Exc.mo Episcopo numquam confirmata, novum Consilium agnosce-re nolentes, die 23 iulii 2013 mandatum dederunt Cl.mo Adv.to V ut eos in foro civili et canonico defenderet.

Sed Exc.mus Praesul, reiecta die 23 au-gusti 2013 remonstratione, seu petitione revocationis vel emendationis decreti diei 10 iulii 2013, ipse Iudicem civilem adiit. Hic vero in processu breviore die 28 augusti 2013 agnovit quidem naturam ecclesiasticam publicam fundationis, sed eodem tempore statuit in re non esse interveniendum ob defectum requisitae urgentiae agendi in eiusmodi processu requisitae.

2. Attamen Cl.mus Adv.tus V, die 6 sep-temboris 2013, nomine praecedentis Con-silii recursum hieraticum ad Congre-

gationem pro Clericis interposuit, quae tamen decreto diei 9 octobris 2014, legitimatione activa dumtaxat Cl.mi X agnita, recursus hierarchicum reiecit et decretum Exc.mi Episcopi N-NN diei 10 iulii 2013 expresse confirmavit.

Cl.mus dein Adv.tus Nicolaus Bartone, de mandato solummodo Cl.mi X, die 9 decembris 2014 recursus adversus decisionem Congregationis ad H.S.T. exhibuit, et die 3 iulii 2015 mandatum a ceteris membris antiqui Consilii subscriptum porrexit.

Re tandem rite discussa inter Cl.mos partium Patronos et Rev.dum Promotorem Iustitiae Substitutum, Em.mus Praefectus in Congressu H.S.T. die 6 novembris 2015 habito decrevit: Recursum contra decretum a Congregatione pro Clericis die 9 octobris 2014 latum non esse admittendum et de facto non admitti ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis H.S.T. Iudicibus, quippe qui manifeste quovis caret fundamento.

Dum Cl.ma Patrona ecclesiasticae auctoritatis decretum Congressus iam die 11 decembris 2015 apud Cancellariam H.S.T. recepit, Cl.mus Recurrentis Patronus id facere moratus est. Etsi enim per telephonum invitatus erat ad id perficiendum, per duos menses tamen H.S.T. adire neglexit. Tunc ope cursus publici exemplar decreti die 1 februarii 2016 transmissum est sive ad suum domicilium in civitate R sive ad officium in Urbe. Syngrapho receptionis die 4 februarii 2016 subscripto, Cl.mus Adv.tus Bartone die 16 februarii 2016 recursus ad Collegium Iudicum H.S.T. interpo-

suit una cum novo mandato a Cl.mo X sibi collato.

Exemplari recursu communicato cum Cl.ma Patrona Congregationis pro Clericis et Exc.mi Episcopi et omnibus rite peractis, nunc huic dubio respondendum est: An decretum Congressus, die 6 novembris 2015 latum, in casu, reformatum sit.

## II. IN IURE ET IN FACTO

3. Quoniam in casu agitur de recursu adversus decretum Congressus H.S.T. die 16 februarii 2016 ad Collegium Em.morum Exc.morum Signaturae Apostolicae Iudices interposito a Cl.mo Adv.to Bartone, quo petit ut "Congressus decretum revocetur ab Em.mo Supremi Tribunalis *Collegio pleno* vel modificetur vel pro nihilo habeatur atque Congregationis decretum, quod Episcopi decretum plene firmat, habeatur contra legem, *ob iuris violationem ac/vel ob erratam iuris applicationem* in procedendo ac decernendo, et nullum declaretur et item ipsum Episcopi decretum", atque quo sibi reservat ius respondendi partium "memorialibus et Promotoris Iustitiae animadversionibus", nunc videndum est in limine de petitionibus Cl.mi Patroni Recurrentis, quae limites legis praescripti excedunt.

Ante omnia, ut merito animadvertis Rev.dus Promotor Iustitiae Substitutus, non ad Cl.mum Patronum Recurrentis, sed ad Em.mum Praefectum H.S.T. spectat "Collegium Iudicum constituere

vel Signaturam plenam convocare" (art. 5, § 2, n. 1 *Legis propriae H.S.T.*).

Ceterum decisio Congressus certiores fecit partes interesse habentes quod "Adversus hoc decretum datur recursus ad Collegium Em.morum et Exc.morum Iudicum ad normam art. 84 *Legis propriae*, qua haec Signatura Apostolica regitur". Iamvero, ad normam art. 21 *Legis propriae H.S.T.* Collegium ordinarie quinque ex Iudicibus constituitur, "nisi Praefectus in Congressu decernat recursum adversus decretum refectionis in Congressu latum, quoties datur, a Collegio trium Iudicum iudicandum esse".

Denum in pertractatione recursus aduersus decretum refectionis in Congressu latum non prospicitur facultas Recurrentis memorialibus ceterorum partium et voto Rev.di Promotoris Iustitiae replicandi, quia "voto Promotoris iustitiae exhibito, recursus quam primum ad Collegium defertur" (art. 42, § 4 *Legis propriae H.S.T.*). Quaestio enim nunc pertractanda solummodo est utrum, necne revocandum sit decretum, quo Congressus causam ad disceptionem coram Collegio Em.morum et Exc.morum Iudicum non admisit (cf. art. 84 *Legis propriae H.S.T.*; Decretum def. coram Gantin, diei 20 apr. 1991, prot. n. 20012/88/CA, n. 6 et Decretum def. coram Kasyna diei 17 iun. 2014, prot. n. 46893/12/CA, n. 4).

4. In tuto posita quaestione de vigore Statutorum foundationis, quae Exc.mus Y die 29 aprilis 1983 adprobavit, quemque Cl.mus Adv.tus Bartone

numquam in dubium vocavit in suis recursibus diei 9 decembris 2014 et diei 16 februarii 2016, ad quae de cetero remisit in quaestione de foundationis administratoribus autonomae, quaestio tamen disputata manet quoad articulos Statutorum a. 1983 applicandos ad dispositiones decreti Exc.mi Episcopi diei 10 iulii 2010, quo novum Consilium administrationis piae foundationis ad normam art. 3, n. 8 Statutorum nominavit et cessationem antiqui Consilii ad normam art. 3, n. 4 Statutorum declaravit propter non petitam ab eius membris nec ideo umquam obtentam ratificationem nominationis ex parte Exc.mi Episcopi.

At Cl.mus Adv.tus Bartone in suo recursu ad Collegium instat in necessitatem applicandi art. 3, n. 6 Statutorum, qui dimissionem membrorum Consilii respicit ("un licenziamento non richiesto"), quam tamen exclusive ad Iudicem civilem, non autem canonicum, remittit. Nam ipsius iudicio "in caso di disaccordo con il Consiglio sulla questione se il Vescovo ha fatto giustamente uso del suo marginale «toetsingsrecht» (diritto di vedere se la legge non è in contrasto con le disposizioni statutarie o vice versa), il giudizio spetta, su richiesta di una delle parti, al tribunale civile". Ipsem tamet Patronus, ut Rev.dus Promotor Iustitiae Substitutus merito adnotat, ad H.S.T. recursum interposuit, non autem ad Iudicem civilem.

5. Itemque Cl.mus Patronus Recurrentis contendit nominationem membra a Consilio factam ad normam art. 3, n. 4 Statutorum ob defectum petitae ratificationis non esse nullam, quia sanctio nullitatis in Statutis praevisa non est.

Qua in re decretum Congressus statuit quod "omissa proinde petitione confirmationis, confirmandus omni iure pri-vatur ad officium de quo" (cf. can. 179, § 1 CIC 1983 = can. 177, § 1 CIC 1917).

Nec obstat quod invocata norma canonica electionem respicit. Cum enim hoc in casu de fundatione autonoma agatur, ab auctoritate ecclesiastica erecta et propriis Statutis ab ea adprobatis praedita, leges universales de electionibus ad complendos articulos tamquam normae suppletivae adhibendae sunt. Attento enim silentio Statutorum de effectibus iuridicis defectus ratihabitionis nominationis, recursus legitime patet ad normam generalem.

Quin etiam, impugnatum decretum Congressus excludit quoque acquisitio-nem officii membra Consilii administra-tionis ope praescriptionis, seu sub specie cuiusdam implicitae ratihabitionis, quia praescriptum de petitionis confirmatione "numquam membris nominatis ignotum fuerat, ac proinde ab iisdem haud insciis inobservatum mansit". De cetero nulla valet praescriptio, nisi bona fide nitatur (can. 198), quaeque, ut ad rem advertit Rev.dus Promotor Iu-stitiae Substitutus, in membris Consilii relate ad ratihabitionem electionum re-vera defuit.

6. Conqueritur Cl.mus Patronus Recur-rentis tum de illegitima nominatione membrorum Consilii "absque praevia electione, et quam minus ratihabitione, ex parte fundationis Collegii", tum de dimissione veterum administratorum

nihil adducendo "quoad administrato-rum neglegentias inventas in gubernan-do".

Sed art. 3, n. 8 Statutorum clare edicit: "Se per qualsiasi motivo non ci sarà nemmeno un solo membro in funzione, appartiene al Vescovo il diritto di nomi-nare un nuovo Consiglio. Nel frattem-po passa dal momento della mancanza di tutti i membri dell'intero Consiglio immediatamente temporaneamente al Vescovo, l'esercizio di tutte le funzio-ni, poteri e doveri del Consiglio, fino a quando sarà costituito un nuovo Consiglio di amministrazione".

Exc.mus Episcopus postquam certior factus est de necessitate ratihabitionis nominationum membrorum Consilii ad consequendos effectus iuridicos electio-num, ad tuendum eorum honorem vo-luntariam officio renuntiationem pro-posituit, qua recusata, ipse directe novum Consilium nominavit.

Nam, ut decretum Congressus statuit, ad praescriptum art. 3, n. 4 Statutorum ad normam iuris adimplendum impar erat "nuda nominum communicatio Exc.mo Episcopo facta", quia "ogni no-mina viene presentata al Vescovo per la conferma". Quod decretum, prout merito advertit Rev.dus Promotor Iu-stitiae Substitutus, iurisprudentiae fori ecclesiastici P non contradicit (cf. sent. 26 jan. 2008), quia interpretatio per mo-dum sententiae vel actus administrativi in re peculiari vim legis non habet et li-gat tantum personas atque afficit res pro quibus data est (can. 16, § 3).

7. Inter alias quaestiones, quae subordi-nate proponuntur, adest illa de asserta

necessitate applicandi normas iuris civilis S, de qua iterum instat Cl.mus Patronus Recurrentis in suo recursu ad Collegium Iudicum, resumens argumenta ex priore recursu.

Ad rem tamen impugnatum decretum Congressus respondit quod “fundatio quaelibet primo et principaliter suis propriis Statutis regitur”.

Praeterea normae iuris civilis, seu art. 2:242 Codicis civilis S societas privatas mercaturaे respicit, non autem fundationes; similiter art. 2:285 offert definitionem fundationis, quae normis canonicae non contradicit (n. 1), excludendo tantum fines directe faventes fundatoribus (n. 3). Itemque art. 2:286 agit de registratione notarili fundationis atque de necessitate providendi in Statutis de nominatione et dimissione administratorum.

Utcumque Cl.mus Patronus iterum atque iterum instat de necessitate servandi hac in re ius civile, sed in specie non indicat leges a decreto Congregationis pro Clericis violatas.

Insuper praetermittenda non est quaestio de asserta nullitate actuum administrationis pro tempore regiminis dioecesis ex parte Exc.mi Y. Idque obiectat Cl.mus Patronus Recurrentis propter defectum ratihabitionis electionum.

Attamen, ut supra dictum est, ad normam art. 3, n. 8 Statutorum administratio fundationis in casu deficiens Consilii ad Episcopum pertinet, etiamsi Exc.mus Praesul actus hucusque positos impugnare non videatur. Immo, ad vitanda dubia Congregatio pro Clericis vel ipse Exc.mus Episcopus, ad quem ad-

ministratio ad normam art. 3, n. 8 Statutorum spectabat, actus administrationis ope rescripti sanare possunt.

8. Denique, de aliis quaestionibus, a Cl.mo Patrono Recurrentis iterum propositis, decretum Congressus apte respondit, ut puta de facultate Episcopi interveniendi in casu neglegentiae administratoris, quo in casu applicari debet art. 3, n. 4 Statutorum usque ad nominationem novi Consilii.

Quod spectat ad fundationis autonomiam, negare eam videtur Cl.mus Patronus Recurrentis, quia, ipsius iudicio, est incompatibilis cum eius natura publica, ab Episcopo declarata. Sed fundationes publicae in iure canonico possunt esse autonomae, prout can. 1303, § 1 cavet (“piae fundationes autonomae et non autonomae”). Nam ad auctoritatem ecclesiasticam spectat fundationem autonomam erigere eiusque Statuta adprobare, prout evenit in casu fundationis v. d. Z

Demum, quaestio de natura privata omnium personarum iuridicarum ecclesiasticarum in T, quam Cl.mus Patronus Recurrentis iam in priore recursu diei 9 decembris 2014 coram H.S.T.proposuit, paucis absolvi potest.

Enimvero, tempore adprobacionis Statutorum, scilicet vigente adhuc Codice Piano-Benedictino, deerat distinctio inter personas iuridicas ecclesiasticas publicas et privatas, ex quo nulla fit mentio in Statutis de natura publica vel privata fundationis. Omnes enim personae iuridicae considerabantur publicae. Cum vero Codex nunc vigens distinctionem introduxerit inter personas iuridicas publicas et privatas (cfr. can. 116), art. 39

Normarum a Conferentia Episcopali S anno 1994 emanatarum (*General Regulations for juridical persons in the Church*), quoad iam existentes personas iuridicas ecclesiasticas statuit de necessitate exhibendi petitionem ad obtinendam recognitionem naturae personae privatae, quod factum non est.

### III. CONCLUSIO

9. Omnibus in iure et in facto aequi rimatoris, infrascripti Patres pro Tribunalii sedentes ac solum Deum pree oculis habentes, dubio proposito respondendum esse decreverunt atque respondent:

NEGATIVE, seu decretum Congressus, die 6 novembris 2015 latum, in casu, non esse reformandum.

Pro expensis processualibus retineatur cautio in arca H.S.T. deposita. Cl.mus Recurrens Cl.mo suo Advocato-Procuratore et Congregatio pro Clericis sua Cl.mae Advocatae-Procuratrici congruum solvant honorarium.

Hoc definitivum decretum cum omnibus quorum interest communicandum et executioni mandandum decernimus, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 17 iunii 2016.

Dominicus Card. MAMBERTI,  
*Praefectus*

Leonardus Card. SANDRI

✠ Stanislaus ZVOLENSKÝ

✠ Henricus MUSSINGHOFF

✠ Antonius STANKIEWICZ, *Ponens*